



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

28 Episcopum, qualem esse oporteat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

omnia, 40. dist. & scire debent Episcopi, alique Prælati, quod, si perveria unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exēpla transmittunt; unde necesse est, ut tantò se cautius à culpa custodiant, quantò per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur, B. Gregor. relatus in cap. præcipue, §. scire Prælati, 11, q. 3 & cap. nulli fas, 25, q. 1.

- 28 Episcopum † oportet irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinulentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli, oportet autem illum testimonium habere bonum, etiam ab his, qui foris sunt. Paul. ad Timoth. epist. 1, c. 1, c. qui Episcopus, 23, distinct. cap. unum orarium, 25, distinct. cap. Episcopum 61, distinct. & Conc. Trid. cap. 1, vers. & quoniam oportet, sess. 2. ejus autē munus est, † oves suas agnoscere, pro illis sacrificiū offerre, verbiq; divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorū omnium operū exemplo pacere, pauperū, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, ad omnia munia pastoralia incumbere, & subditorū omniū vitia, ne criminosa, neque inhonestā vitam, ipso connivente, ducant, redarguere, cap. qualiter, & quando, il. 2, de accus. Conc. Trid. cap. 1, sess. 6, & cap. 1, in princ. sess. 23. ubique de reformatione. Irreprehensibilem esse oportet, cap. ult. 25, dist. c. ult. 2, quest. 7, cap. si quis, §. item Episcopum, 1, quest. 7, & cap. quidem, 11, quest. 1. sobrium, non vinulentum, cap. Episcopum, 35, dist. prudentem, ornatum, & pud-

cum, dicto cap. qui Episcopus, 23, dist. hospitalem, ne sit de numero eorum, quibus in iudicio dicetur, hospes fui, & non susceptus, Matth. cap. 25, in fine, & distin. 42, in princ. cum sine liberalitate necessitatem patientibus succurrendo nomen Episcopi non mereatur, cap. fratrem nostrum, 86, dist. Doctorem, quia alios docere tenetur, cap. qui ecclesiasticis, cum seq. 36, dist. & dist. 86. in princip. & non sufficit innocens vita, nisi adsit etiam doctrina, 43, dist. in princ. & cap. seq. sine crimine esse debet, ut alios liberius arguere possit, cap. ult. 25, dist. cum criminofus magis dicendus sit canis impudicus, quam Episcopus, Cap. qui nec, 2, q. 7. & propriis manibus neminem lædere, vel flagellare licet, cap. non liceat, 86, dist. non litigiosum, cum debeat occupationes sæculares abjicere, ne præfocatus curis negotiorum Dei verbo vacare non possit, cap. te quidem, 11, quest. 1. non cupidum turpis lucri gratia, nec aliquo inhonesto negotio victum sibi necessarium querere debet, dicto cap. non liceat, §. prohibetur, 86, dist. non venatorem, cap. Episcopum, 34, dist. non neophytum, quia neophyti prohibentur in Episcopos ordinari, ne elati in superbiam, tanquam Religio Christiana plurimum eis egeat, in iudicium incidant, & in laqueum diaboli, Paul. ad Timoth. dist. epist. 1, cap. 3, & cap. 1, & 2, 48, d. & qualitates requisitæ in Episcopo, sequentibus versibus comprehenduntur. Primum præcipitur, quod sit sine crimine Præful, monogamus, sobrius, prudens, ornatus, & hospes, casta docens, non percussor, non litigiosus, non cupidus, bene dispositus, non neophytus, ut aliis, Apostolica, quod præsit regula iussit, ut per Hostiæ. in sum. de tempo. ord.